

versarum facultatum praecedere ei debent, scilicet operationes sensus communis, qui species rei, cum primo anima illam apprehendit, in se excipit; phantasiae, quae ex illa specie phantasma efformat, et conservat; ac aestimativae, quae imaginem rei antea apprehensae in phantasmate deprehendit, siquidem anima cognoscere non potest phantasma, prout imago huius rei, et non alterius est, nisi similitudinem eius cum ipsa recognoscat, hanc autem similitudinem non nisi aestimativae subsidio cognoscere potest<sup>1</sup>. Insuper, cum memoria sit facultas sentiens, ac proinde sine organo corporis exerceri nequeat, illud etiam ad eius actum expostulatur, in organo corporis, per quod anima vim suam memorandi exercet, aliquid vestigium rei produci, cum res primum percipitur<sup>2</sup>.

94. Ad explicandum progrediamur ea, quae ad reminiscentiam spectant.

Aliquando rem antea perceptam cognoscere non possumus; aliquando vero aliquam eius partem agnoscimus, et ex hac integram praeteritae cognitionis recordationem exsuscitare nitimur. Si prius fit, *oblivisci* rei antea perceptae; sin posterius, *reminisci* dicimur. Hinc s. Thomas *reminiscentiam* definiit, et explicuit hunc in modum: « Reminiscentia nil aliud est, quam inquisitio alicuius, quod memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamur, idest inquirimus id, quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus, puta si quaerit memorari id, quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo in id, quod fecit quarta die<sup>3</sup> ».

<sup>1</sup> l. q. LXXVIII, a. 4 c. — <sup>2</sup> *De Mem. et Rem.*, lect. I, et III.

<sup>3</sup> *Ibid.*, lect. V. Praeter seriem temporum, etiam similitudinem, oppositionem, et propinquitatem sive loci, sive temporis, sive alterius generis sanctus Doctor enumerat veluti principia, quae ordinem ostendunt inter illud, cuius recordamur, atque illud, cuius reminisci volumus. Subdit enim: « Quandoque quidem ratione similitudinis, sicut quando aliquis memoratur de Socrate, et per hoc occurrit ei Plato, qui est ei similis in sapientia; quandoque vero ratione contrarietatis, sicut si aliquis memoratur Hectoris, et per hoc occurrit ei Achilles; quandoque vero ratione propinquitatis cuiuscumque, sicut cum aliquis memor est patris, et per hoc occurrit ei filius. Et eadem ratio est de quacumque alia propinquitate vel societatis, vel loci, vel temporis; et propter hoc fit reminiscentia, quia motus horum se invicem consequuntur »; *ibid.* Huiusmodi principia a re-

95. Ex his colligitur in reminiscentia quamdam existere ratiocinationem, quippe quod ex aliqua parte cognitionis praeteritae agnita ad reliquas exsuscitandas progreditur. Haec autem ratiocinatio imperfecta est, quia ipsa non, uti verus syllogismus, progreditur ex principiis ad conclusiones, sed ex quibusdam particularibus, quorum anima recordatur, ad aliorum recordationem.

96. Illud autem contra Stewartium<sup>1</sup> advertendum est, ratiocinationem, quam reminiscentia complectitur, non efficere, ut ipsa diversae naturae sit, ac memoria, sed tantum ut sit quaedam dos, quae memoriam perficit, eamque belluina praestantior reddit. Re quidem vera, sicut cogitativa propter virtutem comparativam, qua, ob coniunctionem sui cum ratione, pollet, excellentior est aestimativa, quae belluis inest; non tamen facultas diversa ab ea est; ita reminiscentia excellit memoriae belluarum, sed eiusdem naturae, ac in ipsis, est<sup>2</sup>.

#### CAPVT IV.

#### De facultate intelligendi

ART. I. Cuiusnam naturae sit intellectus, et quam ratione res ad ipsum referantur

97. Intellectus est illa facultas, cuius est apprehendere res, prout sunt immateriales. Quapropter in cognitione intellectiva sensus accidit, ac in cognitione sensitiva, siquidem in hac, etsi species, per quam obiectum percipitur, sit immaterialis, tamen ipsum obiectum a specie repraesentatum est aliquid materiale; in illa autem per aliquid, quod non est materiale, repraesentatur res, prout non est materialis. Iam res, prout ad intellectum referuntur, dicuntur *intelligibiles*; hinc ratio intelligibilitatis rerum in immaterialitate fundatur.

98. Haec, quae asseruimus, ex sequentium duarum propositionum demonstratione plane conficiuntur:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Intellectus est facultas inorganica.*

centibus *leges associationis idearum* appellantur, propterea quod ea diversos modos denotant, quibus ideae in mente coniunguntur.

<sup>1</sup> *Philos. de l'esprit hum.*, part. 2, c. 6, sect. I.

<sup>2</sup> Cf B. Alb. M., *De Hom.*, q. XLIX, a. 2, et s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 4 ad 3.

*Probatur* duobus argumentis ab ipsa natura animae <sup>1</sup> petitis.  
 1° Anima humana supremum locum inter substantias sensitivas, et infimum inter substantias intellectuales tenet <sup>2</sup>; quamobrem tum facultates propriae substantiarum sensitivarum, tum facultates propriae substantiarum intellectualium, quae sunt intellectus, et voluntas, ei inesse debent. Atqui facultates, quae substantiarum intellectualium sunt propriae, sine organo corporeo exercentur, quia illae sunt omnis corporis expertes. Ergo facultas intelligendi, qua anima humana pollet, sine organo corporeo exercentur necesse est.

2° Anima humana, quamvis sit forma corporis, tamen a corpore non absorbetur, seu, ut s. Thomas inquit, *excedit proportionem corporis*. Atqui *in virtute* animae, quae excedit capacitatem corporis, est « quod fluant ab ea quaedam potentiae, quae non sunt actus organorum corporalium <sup>3</sup> ». Ergo animae humanae, prout naturam rerum corporearum supergreditur, facultates inorganicae inesse debent. Atqui anima humana ideo supergreditur naturam rerum corporearum, quia intellectualis est. Ergo facultates, quae ad eam, prout intellectualis est, pertinent, scilicet intellectus, et voluntas, sunt inorganicae.

Demonstrata hac propositione, facillimum est veritatem alterius perspicere.

99. Prop. 2°. *Res materiales per se, seu prout sunt materiales, nequeunt ab intellectu intelligi.*

*Probatur*. Intellectus ab intelligibili ad actum determinatur, et quodammodo perficitur. Atqui nihil ad actum reduci, et perfici potest ab eo, quod est sibi contrarium. Ergo cum intellectus natura sua sit potentia inorganica, sive immaterialis, intelligibile esse nequit aliquid materiale, prout est materiale. Quod si intellectus nequit aliquid intelligere, prout est materiale, sequitur immaterialitatem rerum esse rationem, ex qua res sunt intelligibiles.

<sup>1</sup> Diximus *ex ipsa natura animae*, quia, postquam cognovimus naturam obiecti intelligibilis, exinde alia nobis suppetent argumenta, quibus distinctiorem eiusdem veritatis cognitionem nobis comparabimus.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. LXXVI, a. 1 c.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 2 ad 5.

ART. II. *Cuiusnam generis sit immaterialitas rerum, quae ab intellectu humano, prout cum corpore coniungitur, cognoscuntur*

100. Intellectus spectari potest vel absolute, prout in se est, vel prout cum corpore coniungitur. Hinc postquam ostendimus res esse intelligibiles, quatenus sunt immateriales, investigandum nobis est, quam ratione res relatae ad intellectum, qui cum corpore coniungitur, sint immateriales.

Ut huiusmodi quaestio plane definiatur, sequentes statuimus propositiones:

101. Prop. 1°. *Intellectus, quamdiu cum corpore coniungitur, nihil potest intelligere sine corpore, idest, quin a facultatibus sensitivis aliquo modo pendeat.*

*Probatur*. Intellectus, etsi sine ullo organo corporis actiones suas exerat; tamen naturaliter coniungitur cum facultatibus, quae per organa corporis exercentur, quia una, eademque est anima, quae est subiectum intellectus, et est etiam simul cum corpore subiectum facultatum sentientium. Atqui haec coniunctio inter intellectum, et facultates sentientes ex postulat, ut sensus aliquid ad actiones intellectus conferat. Ergo cognitionem intellectivam aliquo modo a cognitione sensitiva pendere tenendum est <sup>1</sup>.

102. Ut autem intelligatur, quatenam sit haec dependentia intellectus a sensu, duo sunt adnotanda: 1° Facultas intellectiva, utpote quae facultatibus sensitivis excellit, ab his pendere non potest *secundum ordinem naturae, prout perfecta sunt naturaliter imperfectis priora, sed dumtaxat secundum ordinem generationis, et temporis, prout ex imperfecto ad perfectum venit* <sup>2</sup>; hoc est, prout cognitio sensitiva, utpote imperfecta, ad cognitionem intellectivam, quae perfecta est, concurrat, eique praecedat, seu materiam intellectui praebet, in quam intellectus actionem suam exerat <sup>3</sup>. 2° Ex potentiis sensitivis phantasia est illa, quae materiam intellectui suppeditat, in quam ipse agit. Et enim intellectus actiones suas, etiam rebus e sensibus amotis, exercet <sup>4</sup>. Atqui res sensibus apprehensae, rebus ipsis semotis, non sunt in anima, nisi per phantasmata <sup>5</sup>. Ergo phantasia in-

<sup>1</sup> Cf B. Alb. M., *De Anim.*, lib. III, tract. II, c. 12.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. LXXVII, a. 4 c.

<sup>3</sup> Idem, *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. 1, a. 2 ad 5.

<sup>4</sup> <sup>1</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XV, a. 1 c. — <sup>5</sup> Cf p. 121.

tellektui materiam suppeditat, idest intellectus in obiecta phantasiae viresuam exercet. Quoniam vero phantasmata actioni sensuum externorum subiiciuntur <sup>1</sup>, concludendum est intellectum immediate a phantasia, mediate a sensibus externis pendere.

103. Haec, quae modo demonstravimus, experientia mirifice confirmat. Et sane experientia edocemur <sup>1</sup> illos, qui aliquo sensu carent, carere etiam scientia eorum, quae ad ipsum sensum referuntur <sup>2</sup>; <sup>2</sup> actiones intellectus vicibus facultatum sentientium subiici, atque una cum perturbatione, aut cessatione facultatum sentientium exercitationem intellectus cessare, aut perturbari <sup>3</sup>; <sup>3</sup> « quod, ut monet s. Thomas, quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam quod, quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum <sup>4</sup>». Quae omnia profecto ostendunt actionem intellectus super phantasmata exerceri. Itaque cum eodem sancto Doctore ita concludimus: « Operatio proportionatur virtuti, et essentiae; intellectivum autem hominis est in sensitivo; et ideo propria operatio eius est intelligere intelligibilia in phantasmatis <sup>5</sup>».

104. Prop. 2<sup>a</sup>. *Immaterialitas rerum, quae ad intellectum, qui cum corpore coniungitur, referuntur, non est immaterialitas pura, et absoluta, sed est immaterialitas essentiae rerum, quae existunt in materia.*

*Probatur prima pars.* Intellectus, ut demonstratum a nobis est, quatenus coniungitur cum corpore, intelligit quidem immateriale, sed per aliquod phantasma. Atqui immateriale, quod per phantasma cognoscitur, non est immateriale, prout est in se, sed prout sensibili involucro obtegitur. Ergo intellectus, quatenus coniungitur cum corpore, non potest intelligere immateriale, prout est in se; ac proinde immaterialitas rerum, quae ad intellectum coniunctum cum corpore referuntur, non est immaterialitas pura, et absoluta <sup>6</sup>.

105. Altera pars demonstratur hoc brevi argumento D. Tho-

<sup>1</sup> Cf p. 122. — <sup>2</sup> Cf s. Aug., *Epist. VII ad Nebrid.*, n. 6.

<sup>3</sup> Cf eundem s. Doctorem, *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 18, n. 25.

<sup>4</sup> I, q. LXXXIV, a. 7 c. — <sup>5</sup> *De Mem. et Rem.*, lect. I.

<sup>6</sup> Cf Scot., *Quodlib. XIV*, Schol.

mae: Immaterialitas, quae, ut diximus, est ratio, ex qua res intelliguntur, naturae intellectus respondere debet, quia modus cognitionis sequitur modum naturae rei cognoscentis. Atqui anima humana huiusmodi est naturae, ut sit forma, quae habet esse in corpore. Ergo immaterialitas rerum, quae ad intellectum humanum, sive cum corpore coniunctum referuntur, est immaterialitas formarum, sive essentiarum, quae habent esse in materia <sup>1</sup>.

ART. III. *Quodnam sit obiectum intellectus ex iam dictis deducitur*

106. Obiectum intellectus vel *adaequatum*, vel *proportionalum* esse potest. *Adaequatum* est illud, quod ab intellectu in se, prout intellectus est, spectato cognosci potest. *Proportionalum* est illud, quod intellectui convenit in praesenti statu, in quo anima cum corpore coniungitur.

107. Iam adaequatum obiectum intellectus est omne ens, sive quidquid est, vel esse potest. « Quidquid est, inquit s. Augustinus, intelligibile est <sup>2</sup> ». Quoniam autem ens, prout ad intellectum refertur, verum nuncupatur, liquet ens esse obiectum intellectus sub ratione *veri* <sup>3</sup>. Illud autem adnotandum est, nomine *entis* hic significari illud esse, quod essentiam rerum constituit, non vero illud, quo essentia rei in individuis determinatur, siquidem intellectus ad essentiam rerum spectat. Obiectum autem *proportionalum* intellectui non est essentia cuiuslibet rei, sed, ut s. Thomas docuit, essentia rei materialis <sup>4</sup>; nam, ut paulo ante ostendimus, proprium est intellectus coniuncti cum corpore apprehendere non iam immateriale absolutum, sed immateriale in rebus, quae habent esse in materia.

108. Hac autem in re tria adnotanda suat: <sup>1</sup> Essentia rerum materialium, quae est obiectum proportionalum intellectui humano, non est essentia, prout in hac, vel in illa re singulari existit, sed prout abstracta a quavis conditione materiali, atque ad superiorem ordinem evecta est <sup>5</sup>. Re quidem vera, obiectum

<sup>1</sup> I, q. XII, a. 11 c.

<sup>2</sup> *De duab. anim.*, c. 5, n. 4. Cf s. Thom., *Contra Gent.*, lib. II, c. 98.

<sup>3</sup> I, q. LXXXII, a. 4 ad 1.

<sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. 2, a. 9.

<sup>5</sup> I, q. XII, a. 4 c.

cognoscibile *proportionatur virtuti cognoscitivae* <sup>1</sup>. Atqui intellectus, etsi cum corpore coniungatur, tamen actiones suas sine ullo organo corporeo exercet. Ergo dicendum est id, quod in rebus ad materiam pertinet, a facultatibus sentientibus, quae organicae sunt, apprehendi, ab intellectu autem, qui est facultas inorganica, neque materiam in rebus cognosci, neque aliquid, quod ex materia fluit, sed tantum earum essentiam abstractam a materia, et conditionibus materialibus. Exinde patet intellectum cognoscere ea, quae cognoscit sensus, altiori tamen modo, quia sensus cognoscit in rebus accidentia exteriora, et qualitates materiales; intellectus autem perspicit ipsam earum intimam naturam <sup>2</sup>.

2° Obiectum intellectus ex eo ipso, quod est essentia rei materialis abstracta a conditionibus materialibus, est universale <sup>3</sup>. Et sane, conditiones materiales sunt quae reddunt rem individuam, et singularem <sup>4</sup>; quapropter, si a re conditiones materiales removeantur, remanet essentia, quae ipsi communis est cum aliis rebus, eadem specie comprehensibilis. E. g., si a Socrate ea subtraxeris, quibus ipse a Platone, Aristotele, aliisque hominibus distinguitur, remanet *humanitas* quae de ipso, perinde ac de Platone, aliisque hominibus, praedicari potest. Atqui id, quod de pluribus praedicari potest, est universale. Ergo obiectum intellectus, cum sit essentia rei abstracta a conditionibus ipsam individuantibus, universale sit oportet.

3° Nos hic locuti sumus de obiecto, quod primo, et immediate ab intellectu apprehenditur. Ast intellectus, postquam essentias rerum materialium intellexerit, potest ex ipsis *diversimode negotiari ratiocinando, et inquirendo* <sup>5</sup>, atque ita alia cognoscit, quae rerum materialium ordinem praetergrediuntur. Item, cum statuimus universale esse obiectum intellectus, locuti sumus de obiecto, quod directe ab intellectu cognoscitur; intellectus enim

<sup>1</sup> I, q. LXXXV, a. 1 c. — <sup>2</sup> *Qq. disp.*, De Ver., q. X, a. 6 ad 2.

<sup>3</sup> I, q. LVII, a. 2 ad 1.

<sup>4</sup> Conditiones materiales, aiente B. Alberto M., sunt « quaedam individuantia formam, quae sic sunt in uno individuo unius speciei, quod non sunt in alio. E. g., talis membrorum situs, vel talis color faciei, talis aetas, vel talis figura capitis, vel talis locus generationis »; *De Anim.*, lib. II, tract. III, c. 4.

<sup>5</sup> *Qq. disp.*, De Ver., q. I, a. 12 c.

potest indirecte, seu per virtutem reflexivam cognoscere etiam singularia <sup>1</sup>. Ratio autem, ob quam res materiales, prout singulares sunt, directe apprehendi ab intellectu nequeunt, desumenda non est ex eo, quod ipsae singulares sunt, sed ex eo, quod per principia materialia fiunt singulares; nam, ut suo loco ostendemus, principium singularitatis in rebus materialibus est materia. Exinde fit, ut singularia, quae materiae expertia sunt, sint *actu intelligibilia*, atque ab intellectu nostro *secundum naturae suae modum* intelligi possint <sup>2</sup>.

ART. IV. De modo, quo intellectus obiectum sibi proportionatum intelligit, et primum de speciebus intelligibilibus

109. Actus, quo intellectus apprehendit obiectum sibi proportionatum, sive essentiam rerum materialium, exercetur hoc modo: Sensus exteriores *mediate*, et phantasia *immediate* materiam cognitionis, ut antea ostendimus, intellectui praebent <sup>3</sup>. Iam principium, quod determinat intellectum ad actum, sive ad intelligendam hanc, vel illam rem, est *species intelligibilis*, quae repraesentat essentiam illius rei, ex utraque a quavis conditione materiali. Species intelligibilis elaboratur ab intellectu *agente* per actionem, quam exercet super phantasma, in quo essentia rei qualitativis materialibus obtegitur. Haec species intelligibilis recipitur ab intellectu *possibili*, qui ex ea specie producit *verbum*, sive ipse sibi efformat similitudinem rei repraesentatae a specie intelligibili, et sic rem ipsam intelligit. Haec omnia in praesenti, et sequentibus articulis singillatim explicabimus.

110. Atque in primis, sicuti species sensibiles ad sensitivam cognitionem, ita species intelligibiles ad intellectionem efficiendam

<sup>1</sup> En quomodo, secundum s. Thomam, intellectus singularia cognoscat, intellectus, cum polleat vi reflexiva, potest cognoscere modum, quo apprehendit obiectum sibi proprium. Atqui intellectus, ut mox dicemus, apprehendit obiectum sibi proprium per speciem intelligibilem abstractam a phantasmate. Ergo potest cognoscere et speciem intelligibilem, quae est principium, ex quo cognoscit obiectum sibi proprium, et phantasma, ex quo speciem intelligibilem abstraxit. Quapropter applicans speciem intelligibilem phantasmati, intelligit essentiam rei, prout est singularis, quia phantasmata circa res singulares versantur. Cf I, q. LXXXVI, a. 1 c. et *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. 3, a. 3 ad 1.

<sup>2</sup> I, q. LVI, a. 1 ad 2. Cf *Qq. disp.*, De Ver., q. II, a. 2 ad 4.

<sup>3</sup> Cf p. 129-130.

expostulantur. Dicuntur species *intelligibiles*, quia repraesentant essentiam rei a qualitatibus materialibus seiunctam, in qua, ut diximus, obiectum intellectus consistit.

111. Prop. *Intellectus sine speciebus intelligibilibus res intelligere non potest* <sup>1</sup>.

*Probatur.* Cognitio, ut alibi demonstravimus, sine coniunctione obiecti cum facultate cognoscente effici nequit, atque haec coniunctio, nisi fieri dicatur secundum similitudinem obiecti, certe secundum ipsam eius naturam fieri deberet <sup>2</sup>. Atqui prorsus absurdum est obiectum secundum suam naturam coniungi cum intellectu, quia per huiusmodi coniunctionem obiectum fieret unum, idemque cum intellectu, omnisque realis distinctio inter utrumque tolleretur, id quod et per se absurdum est, et pantheismo adfines est. Ergo omnino repugnat intellectum intelligere res sine speciebus intelligibilibus.

112. Circa naturam harum specierum intelligibilium haec duo pro certis, exploratisque habenda sunt. Primum est, quod species intelligibiles a speciebus sensibilibus differunt; nam species intelligibilis est immaterialis non solum prout in intellectu est, sed etiam prout refertur ad obiectum repraesentatum, quia ipsa repraesentat obiectum conditionibus materiae exutum; species autem sensibilis est immaterialis, prout est in sensu, sed non prout refertur ad obiectum repraesentatum, quia ipsa repraesentat obiectum cum eius conditionibus materialibus.

113. Alterum est, quod species intelligibilis, perinde ac de specie sensili dictum est <sup>3</sup>, est illud, quo intellectus rem intelligit, non vero illud, quod ab eo intelligitur. Quapropter, etsi intellectus intelligat res per species, tamen earum obiectivam, seu realem cognitionem sibi comparat.

ART. V. *De intellectu agente*

114. Intellectus agens est illa animae facultas, quae removel ex phantasmatis conditiones materiales, atque ita efficit species intelligibiles, quae nudam rerum essentiam repraesentant.

<sup>1</sup> Cf s. Aug. *De Trin.*, lib. XI, c. 9, n. 16; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 27; *Epist. de videndo Deo*, c. 9, et alibi; s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, a. 1, q. 2 ad arg.; *ibid.*, Dist. XXV, p. 2, a. 1, q. 6; et s. Thom., I, q. XIV, a. 1, et 2; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 46.

<sup>2</sup> Cf p. 114. — <sup>3</sup> Cf p. 116, not. 1.

115. Haec animae facultas dicitur *lumen intelligibile* <sup>1</sup>. Etenim nomen luminis, ut s. Thomas inquit, « primo est institutum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus, postmodum autem extensum est ad significandum omne illud, quod facit manifestationem secundum quaecumque cognitionem <sup>2</sup> ». Quapropter intellectus agens *lumen* appellatur, et phantasmata *illuminare* dicitur, quia ipse actione sua detegit essentias rerum materialium, quae in phantasmatis sub conditionibus materialibus latent.

116. Iam intellectus agens duplicem actionem super phantasmata exerit <sup>3</sup>. Prima actio consistit in eo, quod reddit phantasmata intelligibilia in *potentia proxima*, idest efficit ut phantasmata sint magis remota a conditionibus materiae, quam perceptiones reliquarum facultatum sentientium inferiorum; et quoniam illud, quod est minus materiale, magis ad intelligibilitatem accedit, intellectus agens hac prima sua actione reddit phantasmata habiliora ad hoc, ut fiant intelligibilia, nempe ut essentias rerum sine conditionibus materiae manifestare possint. Haec autem actio ex coniunctione intellectus cum phantasia naturaliter progignitur. Etenim phantasia coniungitur cum intellectu propius, quam sensus externi, et sensus communis; ex quo fit, ut ipsa, magis quam hae facultates, particeps sit virtutis intellectivae, nempe immaterialis; eiusque actiones, idest phantasmata, sint minus materialia, et ideo magis apta, ut ex eis obiectum intelligibile fiat.

117. Altera actio, quam intellectus agens in phantasmata exercet, consistit in eo quod ipse vim suam intendit in ipsa, et abstrahendo, sive removendo ab eis conditiones materiales, efformat species intelligibiles, quae manifestant obiectum non iam in *potentia*, sed *actu* intelligibile, nempe essentiam rerum sine conditionibus materialibus.

118. Circa huiusmodi actionem intellectus agentis haec tria adnotanda sunt:

1° Species, quas intellectus agens abstrahit ex phantasmatis rerum, exhibent obiectivas, sive reales essentias rerum. Nam

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XII, a. 1 c., et S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, p. 1, a. 2, q. 4 resol.

<sup>2</sup> I, q. LXVII, a. 1 c. — <sup>3</sup> I, q. LXXXV, a. 1 ad 4.

res, quae eodem genere, aut eadem specie continentur, reipsa consentiant in essentia omni conditione materiali exuta, ita tamen, ut haec essentia diversis modis determinata existat in rebus singularibus. E. g., natura humana, abstracta a conditionibus individualibus, ea est, quae reipsa omnibus hominibus convenit, atque in unoquoque eorum secundum diversas determinationes existit <sup>1</sup>.

2° Distinguenda est duplex abstractionis species, nempe *abstractio per modum simplicitatis*, et *abstractio per modum compositionis, et divisionis*. Prima abstractio ea dicitur, quae efficit ut *intelligamus unum sine alio*, sive consideremus essentiam seiunctam ab accidentibus. Altera consistit in eo, quod *intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo* <sup>2</sup>. Iam vero prima, non vero altera abstractio est ea, quae fit per intellectum agentem. Quae quidem abstractio *per modum simplicitatis*, ut ex eius definitione patet, non expostulat, quemadmodum falso supponit Rosminius <sup>3</sup>; cognitionem, et collationem terminorum, circa quos ipsa fiat, sed dumtaxat expostulat, ut ipsi praecedat phantasma, in quo intellectus *agens* essentiam rei a conditionibus materialibus expoliet.

3° Ex eo quod notiones per abstractionem intellectus agentis efformatae exhibent essentiam rerum exutam conditionibus materiae, quibuscum revera coniungitur, ipsae falsae dicendae non sunt. Re sane vera, potest esse falsitati locus in abstractione *per modum compositionis, et divisionis*, e. g., cum intellectus negat inesse essentiae rei aliquod accidens, quod ei reapse inest; at non in abstractione *per modum simplicitatis*, qua consideratur essentia ab aliquo, aut ab omnibus accidentibus seiuncta; nam essentia rei, etsi cum accidentibus re ipsa coniungatur, tamen ab his re ipsa quoque distinguitur; quapropter nihil prohibet, quominus intellectus ad illam sine his feratur <sup>4</sup>.

His, quae circa notionem intellectus agentis, eiusque actionem a Scholasticis statuuntur, explicatis, duo ostendenda nobis sunt: 1° hanc facultatem, quae nomine *intellectus agentis* designatur, reipsa existere; 2° ipsum intellectum agentem non esse aliquid extra animam.

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *De ente, et essentia*, c. 4.—<sup>2</sup> I, q. LXXXV, a. 1 ad 1.

<sup>3</sup> N. S., sez. X, c. 1, a. 17.—<sup>4</sup> Cf s. Thom., *loc. cit.*

119. Prop. 1°. *Admittendus est intellectus agens.*

*Probatur.* Essentiae rerum materialium, quae sunt obiectum intellectui humano proportionatum, non existunt extra animam, nisi in materia concretae, et in phantasmate, a quo, ut diximus, cognitio intellectiva initium sumit, non nisi prout in materia concretae sunt, repraesentantur. Atqui nihil, prout est in materia concretum, actu intelligibile esse potest <sup>1</sup>. Ergo essentiae rerum materialium, prout existunt extra animam, et a phantasmate repraesentantur, non sunt intelligibiles *actu*, sed tantum *in potentia*; ac proinde opus est aliqua virtute, quae removeat ab eis conditiones materiales, atque ita ipsas *actu* intelligibiles efficiat. Atqui huiusmodi virtus ea est, quae intellectus *agens* appellatur. Ergo admittendus est intellectus *agens* <sup>2</sup>.

120. Obiic. Si intellectus *agens* ex phantasmate speciem intelligibilem abstraheret, naturam ipsius phantasmatis mutaret, quia corporeum in incorporeum converteret. Atqui absurdum est naturam alicuius rei mutari. Ergo.

121. Resp. *Neg. mai.; conc. min.; neg. cons.* Etenim abstractio illa non est realis, seu materialis, sed est intentionalis, sive logica, scilicet intellectus *agens* speciem intelligibilem ex phantasmate efformat, non quatenus re ipsa exiit phantasma conditionibus materiae, sed quatenus intendit ad nudam essentiam rei sine conditionibus materiae, quibus ipsa in phantasmate obvolvitur. Quocirca ipse non mutat naturam corpoream phantasmatis in incorpoream, sed efficit universale, et intelligibile illud, quod in phantasmate est singulare, et sensibile.

122. Prop. 2°. *Intellectus agens, sive lumen intelligibile, quod res intelligibiles efficit, extra animam esse non potest.* Hanc propositionem demonstramus tum contra Neoplatonicos, Averroem, Cousinium, qui contendunt lumen illud esse aliquam facultatem in se subsistentem separatam ab anima <sup>3</sup>, tum contra Ontologos, qui asserunt lumen illud esse ipsum lumen intelligibile Dei.

*Probatur.* Actio, qua species intelligibilis a phantasmate abstrahitur, est actio propria uniuscuiusque hominis. Atqui non potest aliqua actio esse propria cuiquam, nisi a principio ipsi intrinseco proficiscatur; nam principium extrinsecum potest mo-

<sup>1</sup> Cf p. 128.—<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. LIV, a. 4 c., et q. LXXIX, a. 3 c.

<sup>3</sup> Cousinius illud vocat *rationem impersonalem*.

vere aliquid ad operandum, sed numquam efficere potest, ut illud, cui nullum agendi principium intrinsecus inhaeret, actionem sibi propriam exerat. Ergo intellectus agens, quo species intelligibilis a phantasmatis abstrahitur, aliquid intrinsecum animae esse debet <sup>1</sup>.

123. Contra Ontologos praestat etiam hoc adnotare: Deus est quidem lumen intelligibile, tum quia res ita condidit, ut intelligibiles esse possint; tum quia homini lumen largitur, quo ipse res intelligit. Ast inde haud fluit lumen, quo intellectus humanus res intelligit, esse ipsum Lumen increatum Dei, sed dumtaxat lumen, quo ipse res intelligit, esse sibi inditum a Deo <sup>2</sup>.

ART. VI. De intellectu possibili

124. Intellectus *possibilis* denotat illam facultatem intellectricem, quae in se recipit speciem intelligibilem, et actum intelligendi elicit, sive obiectum ab illa specie repraesentatum apprehendit. Nomen autem *possibilis*, quod intellectui adiungitur, non denotat intellectum possibilem esse aliquid non reale, sed significat ipsum esse aliquid reale, quod est in potentia ad res intelligendas, et a potentia ad actum intelligendi progreditur <sup>3</sup>. Vocatur etiam intellectus *passivus*. Circa quam vocem duo moneamus oportet: 1° Intellectui convenit passio *communiter* accepta, quae consistit dumtaxat in eo, quod recipit aliquid, ad quod erat in potentia; at ei repugnat passio *strictè* accepta, quia haec consistit in quadam transmutatione; nulla autem transmutatio in intellectum, qui potentia immaterialis est, cadere potest <sup>4</sup>. 2° Intellectus *possibilis* est ipse sibi principium suae intellectionis. Nam intellectio est actio vitalis, atque immanens animae. Atqui actionis vitalis principium in ipso vivente esse debet <sup>5</sup>. Ergo intellectio ab ipso intellectu proficisci debet <sup>6</sup>. Quapropter intellectus *possibilis* dicitur *passivus* dumtaxat quia, cum sit indeterminatus ad intelligendum hoc, vel illud obiectum, non potest

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 3 c., et s. Aug., *Tract. XV in Ioan. c. 4*, n. 19.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., *Super Boët.*, *De Trin.*, q. I, a. 1 c.

<sup>3</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 9 c.

<sup>4</sup> I, q. LXXIX, a. 2 c. — <sup>5</sup> Cf p. 93.

<sup>6</sup> Cf Scot., *De Anim.*, q. XII, n. 7.

hunc, vel illum actum intellectionis exerere, nisi determinetur a specie intelligibili, quae certum aliquod obiectum repraesentat <sup>1</sup>.

125. Prop. 1°. *Admittendus est intellectus possibilis.*

*Probat.* Quisquis continuo experitur se paulatim assequi cognitionem rerum, quas antea poterat quidem intelligere, sed actu non intelligebat; quapropter anima nostra a potentia ad actum intelligendi progreditur. Atqui anima nihil potest agere, nisi per facultatem, quae est principium proximum illius actionis <sup>2</sup>. Ergo anima non potest progredi a potentia ad actum intelligendi, nisi polleat facultate intelligendi, quae in potentia est ad res intelligendas. Atqui haec facultas illa est, quae *intellectus possibilis* nuncupatur. Ergo intellectus *possibilis* re ipsa animae inest <sup>3</sup>.

126. Prop. 2°. *Intellectus possibilis est facultas, quae specificè differt ab intellectu agente.*

*Probat.* Intellectus agens sua actione efficit obiectum actu intelligibile, quia species intelligibilis, quae obiectum repraesentat, est effectus actionis, quam intellectus agens exerit super phantasma; intellectus vero *possibilis* a specie intelligibili reducitur ad actum; quapropter intellectus agens est potentia activa; intellectus vero *possibilis* est potentia passiva <sup>4</sup>. Atqui potentia activa re ipsa differt a passiva. Ergo alia facultas est intellectus agens, alia intellectus *possibilis* <sup>5</sup>.

127. Illud autem advertendum est, actionem abstractivam intellectus agentis, et actionem receptricem intellectus *possibilis* eodem tempore fieri, quia ipsae concurrunt ad productionem eiusdem actus intellectivi; causae autem, quae ad eundem effectus productionem concurrunt, simultaneae esse debent.

ART. VII. De verbo intellectus

128. *Verbum*, sive *conceptio* a s. Thoma <sup>6</sup>, post s. Augustinum <sup>7</sup>, nuncupatur repraesentatio obiecti, quam intellectus *possibilis* in se efformat, et qua veluti *in speculo* <sup>8</sup> cernit obiectum a specie intelligibili repraesentatum. Vocatur *conceptio*, quia est

<sup>1</sup> Cf eundem Doctorem, *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. 7, n. 9.

<sup>2</sup> Cf p. 95 et 96. — <sup>3</sup> Cf s. Thom., I, q. LIV, a. 4 c.

<sup>4</sup> Cf p. 101. — <sup>5</sup> I, q. LIV, a. 1 ad 1; q. LXXIX, a. 10 c.

<sup>6</sup> I, q. XXVII, a. 1 c., et q. XXXIV, a. 1 ad 2.

<sup>7</sup> *De Trin.*, lib. IX, c. 7.

<sup>8</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 3 c.

illud, quod intellectus in seipso concepit <sup>1</sup>, sive sibi ipsi repraesentat <sup>2</sup> ut obiectum actu intelligat. Vocatur autem *verbum*, quia intellectus, cum rem intelligit, veluti intra se loquitur, hoc est, exprimit obiectum, quod intelligit <sup>3</sup>.

129. Iamvero huiusmodi verbum distinguitur a specie intelligibili, ex qua intellectus determinatur ad actum, quia species intelligibilis, ut s. Thomas inquit, « consideratur ut principium actionis intellectus <sup>4</sup> »; verbum autem « est terminus operationis intellectus <sup>5</sup> », sive « ultimum, quod intellectus potest in se operari <sup>6</sup> ». Praeterea species intelligibilis praebetur intellectui possibili ab intellectu agente; verbum autem gignitur ab ipso intellectu possibili ex specie intelligibili <sup>7</sup>; quapropter species intelligibilis *species impressa*, verbum autem *species expressa* vocari assolet <sup>8</sup>.

130. Prop. *Cognitio intellectiva sine verbo explicari non potest.*

*Probat.* Cognitio intellectiva expostulat non solum ut obiectum sit praesens, et unitum intellectui, veluti principium, quod ad cognitionem efformandam concurrat, sed etiam, ut illud sit intrinsecus praesens, veluti actu cognitum, sive veluti terminus, qui cognitionem obiecti in ultimo actu constituit, quia in intellectione *totum*, ut s. Thomas inquit, *in ipso intellectu agitur* <sup>9</sup>. Atqui obiectum non potest, tamquam actu cognitum, esse intrinsecus praesens intellectui, nisi per *verbum*. Ergo cognitio intellectiva sine verbo explicari non potest.

131. *Minor* ita demonstratur: Obiectum, secundum suum esse reale, et naturale, non potest esse intrinsecus praesens intellectui, quia hoc modo spectatum est aliquid extra intellectum. Ergo sicut expostulatur species intelligibilis, ut obiectum, tamquam cognoscibile, sit intrinsecus praesens intellectui, et sit principium, quod illum moveat ad intellectionem <sup>10</sup>; ita expostulatur, ut intellectus efformet sibi aliam speciem, in qua obiectum veluti actu cognitum sibi repraesentat. Atqui haec alia species ea

<sup>1</sup> *Op. cit.*, q. IV, a. 1 c.

<sup>2</sup> *Opusc. XIV, De natura verbi intellectus.*

<sup>3</sup> Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XV, c. 10.

<sup>4</sup> *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. VIII, a. 1 c.

<sup>5</sup> *Ibid.* — <sup>6</sup> *Opusc. cit.* — <sup>7</sup> *Ibid.*

<sup>8</sup> *Ibid.* Cf s. Aug. *In Psal. CXXXIX*, n. 15, et *De Trin.*, lib. IX, c. 12.

<sup>9</sup> I, q. LIV, a. 2 c. — <sup>10</sup> Cf p. 133 sqq.

est, quae dicitur *verbum*. Ergo ut obiectum, tamquam actu cognitum, sit intrinsecus praesens intellectui, expostulatur *verbum*.

132. Veritas huius propositionis ex eo confirmatur, quod intellectio est actus vitalis ipsius intellectus possibilis <sup>1</sup>; quapropter obtineri non potest per *speciem impressam*, quae efficitur ab intellectu agente, sed per *speciem expressam*, quae producitur ab ipso intellectu possibili.

ART. VIII. *De aliis actibus intellectus, et primum de conscientia*

133. Hactenus de illa intellectus operatione disputavimus, quae ipse obiectum suum proprium, nempe essentias rerum materialium conditionibus materiae exutas, primo et immediate apprehendit. At intellectus iam in actu constitutus alias exerit operationes <sup>2</sup>, nempe cognoscit suas ipsas cognitiones, iudicat, ratiocinatur, recordatur. Ad has operationes explicandas progredimur necesse est.

134. *Conscientia*, prout a recentibus accipitur, est cognitio animae, quae circa actus suos cognitivos, tum sensitivos, tum intellectivos versatur. At accepta proprio, et vero sensu, est cognitio animae, quae versatur circa seipsam, suasque intellectiones, quatenus se res intelligere intelligit; siquidem res sentire sentimus non per conscientiam, sed per sensum communem <sup>3</sup>.

135. Iam nos hic loquimur de conscientia *psychologica*, quae est illa, qua aliquem actum a nobis fieri cognoscimus, non vero de conscientia *moralis*, qua consideramus, an aliquis actus cum legibus morum consentiat, necne. Haec autem conscientia *psychologica* distinguitur in *habitualem*, et *actualem*. Habitualis consistit in eo, quod anima aliquam sui, suarumque actionum cognitionem habere dicitur, non ex eo quod *actu* se cognoscit, sed dumtaxat ex eo, quod, cum sit sibi praesens, tamquam principium suorum actuum, dispositionem habet ad sui ipsius cognitionem, quemadmodum homo litterarum gnarus litteras scire dicitur, etiamsi de litteris actu non cogitet <sup>4</sup>. « Mens sui notitiam habitualement habet, qua possit percipere se esse <sup>5</sup> ». Conscientia autem actualis ea est, « qua aliquis considerat se in actu

<sup>1</sup> Cf p. 138. — <sup>2</sup> Cf p. 132-33. — <sup>3</sup> Cf p. 119.

<sup>4</sup> Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XIV, c. 6, n. 8.

<sup>5</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 8 ad 1.